



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

§. 4. Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Conciliorum,
quæ ante schisma Græcorum celebrata fuerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

cludit his verbis: Cum igitur Spiritus sanctus, nobis immixtus, conformes nos Deo efficiat, procedat vero is à Patre & Filio; manifestum est ex divina essentia ipsum esse, essentialiter in ipsa & ex ipsa procedentem. Et inferius sic argumentatur: Si renovante nos Christo, & in novam vitam transferente, Spiritus renovare dicitur... necesse est fateri Spiritum ex essentia Filii esse. Nam ut ex ipso naturaliter existens, & in creaturam ab ipso missus, renovationem operatur, plenitudo ac complementum sanctæ Trinitatis.

§. III.

Processio Spiritus Sancti à Filio, probatur autoritate Latinorum Patrum.

S. Hilarius lib. 2. de Trinit. nu. 29. sic loquitur: De Spiritu autem sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed silei à nobis, eorum causa, qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, qui Patre & Filio autoribus consistens est. Et S. Ambros. lib. 1. de Spir. sanct. c. 10. Spiritus sanctus cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio. Et S. August. l. 4. de Trin. c. 20. Neque enim flatus ille corporeus (quo Christus insufflavit in discipulos) substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum S. ... Qui ergo à Patre procedit & Filio, ad eum refertur, à quo natus est Filius. Et S. Prosper l. 1. de vita contempl. c. 18. Cum instruire debeamus (Fideles) de Patre, quomodo salus accipiatur ingentius; de Filio, quomodo ex ipso sit genitus; & de Spiritu sancto, quomodo ex Patre ac Filio procedens, nec ingentius possit dici, nec genitus, &c. Et S. Leo epist. 93. ad Turribium c. 1. Demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus S. unam atque eandem asserunt esse personam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur: nec alius sit, qui genuit; alius, qui genitus est; alius qui de utroque processit. Et S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 2. Nec natus est ipse (Spiritus sanctus) nec genuit, sed solus de Patre Filioque procedit.

§. IV.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Conciliorum, quæ ante schisma Græcorum celebrata fuerunt.

Prima occurrit nobis Synodus Alexandrina, à Cyrillo in causa Nestorii celebrata, ex qua Cyrillus ad Nestorium scripsit epistolam, quam approbavit Concilium Ephesinum, & post Ephesinum, approbavere Chalcedonense, Constantinopolitanum secundum & tertium, & Ephesinum secundum. In ea autem sic loquitur Cyrillus: Spiritus appellatus est veritatis; & veritas Christus est. Unde & ab ipso similiter, sicut ex Patre, procedit.

Secunda est Toletana prima, anno 400. vel ut alii volunt, Callicienis anno 447. habita, quæ in assertionem fidei sic ait: Credimus... Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre Filioque procedens. Est ergo ingentius Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed à Patre Filioque procedens.

Tertia est Toletana tertia, quæ unanimi omnium consensu, professionem fidei à Reccaredo Rege oblatam suscepit, in qua dicebatur: Spiritus S. à nobis confitendus est & predicandus, à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio unius esse substantia.

Quarta est Toletana quarta c. 1. ubi ait: Spiritum S. nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Sequuntur Toletana sexta n. 1. Credimus, inquit, & profitemur... Spiritum S. neque genitum, neque creatum, sed de Patre Filioque procedentem, utriusque esse spiritum. Toletana octava c. 1. Credimus & in Spiritum sanctum,

vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem. Toletana undecima, acta anno 675. Sic autem dicit in professione fidei: Spiritum sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre & Filio credimus esse Deum, unius substantia, unius quoque esse nature: non tamen genitum, vel creatum, sed ab utroque procedentem, amborum esse spiritum. Et Forojulienis anno 791. celebrata, quæ in Symbolo fidei hæc habet: Spiritus sanctus verus Deus, verè & propriè Spiritus sanctus est. Non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter & inseparabiliter procedens.

§. V.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur autoritate Conciliorum generalium, quæ post exortum schisma Græcorum celebrata fuerunt.

1. Synodus Lateranensis quarta, acta anno 1215. cujus definitioni adfuisse & consensisse Græcos, colligitur ex cap. 4. sic pronunciat c. 1. Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus S. ab utroque pariter, abque initio semper & sine.

2. Synodus Lugdunensis secunda, ann. 1274. Græcis præsentibus celebrata, unanimi omnium consensu dixit: Fideles ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ab uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. In 6. de summa Trinit. c. unico.

3. Synodus Florentina, cui Græci cum suo Imperatore interfuerunt, in litteris sanctæ unionis per Eugenium Pontificem, 1. Testatur: Latinos & Græcos magno studio invicem usos esse, ut inter alia, etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discenteretur. 2. Definit, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sique omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam summe esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & una spiratione procedit. 3. Additionem, Filioque, à Latinis rationabiliter & legitime factam esse in Symbolo, pronunciat his verbis: Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarande gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. His porro Synodis adjungenda est Tridentina, quæ sess. 3. legit & approbavit Symbolum Constantinopolitanum, cum additione, Filioque.

§. VI.

Processio Spiritus sancti à Filio, probatur ratione.

Tam convenit Filio spiratorem esse, quam Patri, quamvis non eodem modo conveniat. Sed Spiritus sanctus procedit à spiratore. Ergo Spiritus sanctus tam à Filio quam à Patre procedit. Major, quoad secundam partem, non habet difficultatem: nam si Filius spirator est, sicut & Pater, ut spirator sit, habet à Patre, à quo accepit, quidquid habet; cum è contra Pater, ut spirator sit, à nullo alio habeat, quia à nullo alio productus est, atque ita à nullo alio accepit, quod habet. Esse igitur spiratorem Patri convenit, ut principio sine principio; Filio vero ut principio de principio, si re ipsa spirator est, ut esse, probandum superest.

Prob. itaque 1. pars maj. Si Filius non est spirator, vel quia caret aliqua perfectione essentiali, quam Pater habeat, & quæ necessaria sit ad esse spiratoris; vel ob differentiam relationum, quibus Spirator & Filius ad se mutuo referuntur, & invicem opponuntur; sive brevius, & quod idem est, ob relativam oppositionem, quam habent inter se spirator & filius. Non enim tertium assignari, vel excogitari potest, propter quod Filio repugnet spiratorem esse. Atqui neutrum potest dici.

Non